



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Reg. 29.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)



REGULA XXIX.  
DE CUSTODIA SENSUUM.  
EXHORTATIO  
IN EANDEM.

De diligenti sensuum, oculorum præcipue, aurium & linguæ custodia.

THEMA.

*Hortus conclusus, Soror mea Sponsa, fons signatus, puteus aquarum viventium.* Cant. c. 4.

VEL

Omnes diligentissimè curent portas sensuum suorum (oculorum præcipue, aurium, & linguæ) ab omni inordinatione custodire. Reg. 29.



aria inter hieroglyphica, symbola, ænigmata, emblemata ac similia, quibus sponsus divinus, sponsam suam celebrare, atq. ne adumbrare dignatus est; non infirma sunt, quæ Cant. 4. depromit; dum triplicem schemate delineat ac depingit: *Hortus conclusus*, ait, *Soror mea sponsa, fons signatus, puteus aquarum viventium*. Quæ tria, non secus atque alia Canticorum volumine contenta, sensum triplicem, scilicet totalem, prin-

cipalem ac partialem admittunt. 1. Sensus totalis Ecclesiam universam indicat, quæ est *Hortus*, virtutum, gratiarumque flores & germina proferens: *conclusus*, ne hæreses intrent. Est fons gratiæ & doctrinæ; *signatus*, ne crystallinus ejus liquor errorum ac vitiorum cœno turbetur: est *puteus aquarum viventium*, Baptismi & Sacramentorum. 2. Sensus principalis Beatissimam Dei Genitricem seu *Mariam* respicit: quæ est *hortus conclusus* ob virginitatem; *fons signatus*, ob puritatem & sensum cordiam: *puteus aquarum viventium*,

tum quia Christum fontem aquæ vivæ genuit; tum quia aquas gratiarum effundit. Nam S. Epiphanius orat. de Deip. his eam verbis salutat: *Ave gratia plena, que sitientes fontis dulcedine satias.* S. Ephrem de Laud. Deip. *Eam fontem gratia & totius consolationis deprecatur.* S. Chrysostomus his eam alloquitur: *Ave, quia ex puteo semper viventis aquæ.* 3. Sensus partialis animam religiosam quamlibet, aut etiam animam piam, sanctamve, tanquam Ecclesiæ partem adumbrat: quidni igitur verba eadem, & Societati nostræ minimæ, & cuius ejus personæ adaptemus; quam, *Hortum conclusum; fontem signatum, puerum aquarum viventium esse,* convenit. Quæ tunc elogia in eam cadent, si tria in Regula præsentè, expressa, complexa fuerit. Nimirum 1. Si sensuum custodiam exactam tenuerit, *hortus conclusus* erit. 2. Si passiones domando, in pace & humilitate perstiterit: *fontem signatum* præbebit. 3. Si intellectum, voluntatemque ad Deum elevando, eum in omnibus creatis invenerit ac consideraverit, *puteum aquarum viventium* representabit. Tria hæc tanquam totidem castitatis tuendæ præsidia, ad Regule præcedentis observantiam admodum opportuna, in præsentè paucis considerabimus.

1. *Hortus conclusus foror mea.* Primum hoc è ternis Symbolum est, quo sponsus divinus sponsam adumbratam proponit. Sapientissimus Regum Salomon *hortum* construxit amoenissimum, plantis leætissimis constructum, floribus, tanquam stellis exornatum, arte topiariâ ad omnem elegantiam com-

positum, ideòque *conclusum*, ne eum aut concitarent bestie, aut viatores spoliarent. Hortum istum ex Josepho Adrichomius in descriptione terræ sanctæ, pag. 170. vivis quodammodo coloribus delineat: *Hortus, inquit, regius, qui hortus conclusus dicitur, hortus erat in suburbanis Jerusalem, muris undique septus, atque ut paradisus, arborum, fructuum, herbarum, aromatum, florum, fructuumque ubertate amœnus, mulcendisque ac fovendis sensibus conveniens.* Hortum hunc mylicè, elegantèrque in sensu partiali interpretatur Magnus Gregorius, dum ait: *Anima sancta est hortus conclusus, quia dum virtutes mittit, flores gignit, & dum virtutum exhilaratione se reficit, fructus, quos genuerat, eadem custodit.* Hortus autem conclusus esse dicitur; quia dum bona sua, intentione vitæ æternæ abscondit, dum humanas laudes omnino contemnit, ipsa bona intentione se circumsepit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irrumperè possit. Si igitur ejusmodi anima hortus est conclusus, idem Societatis Religioso conveniet; is enim

Primo est *hortus* quem instar paradisi cujusdam fertilissimi, & omnium virtutum flores, & operum bonorum fructus, proferre decet, quibus, Christum Dominum verum Salomonem honoret, & odoris suavissimi fragrantia recreet. Deinde est *conclusus*: ut enim in animæ nostræ hortum serpens antiquus, & coluber tortuosus, non irreat, omniâque germina vanitatis veneno inficiat, *conclusus* sit oportet; non solum, ut vigili puræ intentionis oculo eum custodiat, verum etiam, quinque sensuum, oculorum præcipuè aurium & oris

Nnn 2 portas,

portas, probe occludat: Scripturâ enim telle, *Mors intravit per fenestras*. Quare

1. Claudendi oculi, visusque ab omni inordinatione custodiendus, id est, à nocivis, invidiosis, impudicis, imò & à curiosis, præsertim sequioris sexûs personarum aspectibus. Exemplo Sancti Job, palam profitentis: *Pepigi factus sum oculis meis; ut ne cogitarem quidem de Virgine*. c. 31. 1. Igitur intuentis ejusmodi objectorum, tanquam basiliscorum fugiendi sunt, ne perimamur. Quot enim oculorum telis periére? Aspice Davidem virum secundum Cor Dei, virum perfectum; aspice Salomonem Regem omnium longè sapientissimum; aspice Samsonem, Holofernem, aliisque sexcentos Heroës & pugiles fortissimos, an non capti in oculis suis occubuerunt? Si igitur cum tot millibus, imò millionibus interire nolis, pange fœdus cum oculis tuis, & avertè oculos tuos, ne videant vanitatem.

2. Deinde auditus ab omni inordinatione custodiendus, & claudendus, ne verba vana, detractoria, scurrilia, ac multò magis inhonesta, turpia atque obscena itrepant. *Sepi aures tuas spinis*, monet Siracides Eccli. 28. 29. Id est, dum ejusmodi verba auribus hauris, talem repugnantiam, horrorem ac dolorem sentias, ac si aures tuas spinis circumvallatæ forent, quæ talibus sermonibus, non sine dolore, quasi imprimerentur. Ad hæc *Sepi aures tuas spinis*. Ejusmodi spinæ esse possunt, timor Domini, metus inferni, horror peccati. Imò juvat nos ad hujusmodi verba surdos esse, aspidè que imitari, qui aurem unam terræ affigunt; alteram caudâ

opplent, ne incantantium voces percipiant. Terræ autem aures affigimus, dum infirmitatis nostræ memoriam refricamus, caudâ aures obturamus, dum novissimorum consideratione, à complacentia & consensu, mentem compefcimus.

3. Lingua quoque & os ab omni inordinatione custodienda sunt; ne ea in verba laxemus, quæ profari nefas est. Qualia sunt, otiosa, vana, stultiloqua, scurrilia, ac longè magis in ea, quæ turpitudinem, obscenâque metaphoras resonant: *Omni immunditia* (etiam colorata ac palliata) *ne nominetur in vobis*. ad Ephes. 5. Deinde sub silentii rigore lingua coercenda est, & silentio temporibus servandum silentium. *Est tempus loquendi, & tempus tacendi*, ait Ecclesiastes. Virtutem primam esse pota compefcere linguam. Vix est regula, quæ à Tironibus, præsertim sæculo recentè egressis, & garrulitati assuetis, frequentius rumpatur, quam illa de silentio, cum tamen tanti ea momenti, ut S. Jacobus asserere non sit veritus, c. 1. 26. *Si quis putat se religionem esse, non refrenans linguam suam, hæc vana est religio*. Tam arcta verò silentii disciplina servanda est, ut temporè vetito, nè de piis quidem bonisque rebus sermones miscamus, exemplo Davidis, qui ait: *Obmutui & stui à terra*. Si igitur, Charissimi, seriò optamus, ut hortus noster, in noxias fruges non protuberet, nec spuria germina, fructusque adulteros effundat; sed potius virtutum præstantes fructus, ac flores, & præ reliquis castitatis lilium profert, sit conclusus: sensuum nostrorum portus

quàm diligentissimè à vitiiis custodia-  
mus, oculos præsertim & aures, nec  
non linguam, præcipuè sub laborum  
ac studiorum intermissione, peractâ re-  
fectione, in virium repastinationem  
concessis.

II. Alterum symbolum, cui Spon-  
sa Sponsam in Cantico Canticorum  
asimilat, est *Fons signatus*. Salomon  
Rex in horto suo conclusus, fontem ad-  
otaverat insignem: qui, ut asserit A-  
drichomius l. c. *Vocabatur Rogel*, ro-  
tanque hortum conclusum irrigabat: & ex  
eo Rex bibebat. Eoque sine *signatus*, sive,  
ut vertit Arabicus, sigillo obhignatus  
erat: ne quispiam fontem vitaret, in-  
ficeret, turbaret, aut ne serpentes, bufo-  
nes, aliæ venenata reptilia accede-  
rent, virisque injicerent. Similis fons  
apud Perlas repertus fuit, ex quo solus  
Rex cum primogenito Filio, lympham  
in potum hauriebat, adeo, ut si alius ex  
eo potaret, capite plecteretur, teste  
Athenæo l. 12. Nec absimilis in His-  
pania prope Complutum fons visitur,  
ex quo, pro Rege solo aqua depro-  
mitur.

Talis rursus *Fons signatus* est anima  
pia, anima sancta, anima religiosa,  
fons puram, illimem, & minimè tur-  
bidam aut turbatam continens aquam;  
non commoventibus eam passionum  
ventis; aut cupiditatum serpentibus,  
venenum inspuentibus. De fonte Ec-  
clesiæ loquitur S. Augustinus l. 2. con-  
tra Cresconium c. 14. & 15. Huius fonti  
*signata*, nemo communicat alienus, nullus  
nisi mutatus accedit, aut ita omnino mu-  
tandus, ut non sit alienus: sed sit celestis  
participi pacis, sanctæ socius unitatis, ple-

nu individua charitatis, civis Angelica ci-  
vitatû. Quales S. Augustinus cupit esse  
fideles, tales S. Ignatius (& quivis  
Fundator) suos optat esse sodales; fon-  
tes signatos, à passionum turbatione &  
cupiditatum inordinatarû veneno im-  
munes. Sit quisque *celestis participi pacis*,  
domito passionum inter se belligeran-  
tium furore: *Sit sanctæ socius unitatis*:  
animi demissione, intellectûs & vo-  
luntatis subjectione; ac mitis mentis  
dulcedine: *Sit plenus individua charitatis*,  
rixarum & discordiarum expulsiōne,  
& perfectâ mutuâ dilectione atque u-  
nitione. Sit denique *civis angelica civitatû*,  
calitatis angelicæ candore, & sen-  
suum, appetituumque omnium abne-  
gatione. Ante omnia verò, viperas,  
colubros, serpentisque vitiorum procul  
à cordis fonte arceat. Serpens est in-  
quietudo, quâ quis nec ipse in pace de-  
git: nec alios degere finit: virtusque in  
communitatem, perquam noxium, e-  
vomit, sed huic sigillum, in præsentè  
Regula apponit S. Ignatius, volens ut  
simus fontes signati, *nosque in pace in-  
terna conservare studeamus*. Draco est su-  
perbia, toxicum propriæ excellentiæ,  
& ælimationis sui evomens, quo aliis  
præferri cupit, alios despicit, debitum-  
que honorem denegat, & venenum hoc  
communicati admodum nocivum est;  
ne id nos inficiat, S. Fundator sigillum  
addit, ut nimirum instat fontis signati  
& bene clausi, *nos in humilitate interna  
conserveamus, in omnibus optando atque pro-  
curando potiores partes aliis deferre, omnes  
in animo, tanquam sibi superiores ducendo,  
& exterius honorem & reverentiam, quam  
exigit cujusque status, cum simplicitate &  
modera-*

moderatione religiosa exhibendo : Non more aulico & affectato, non animo duplici aut ficto : atque hoc ipsum castitatem plurimum adjuvat : humilitas exterior & interior fontem illum signatum conservat : Nulla est castitas carnis, quam non commendat humilitas mentis, inquit S. Gregorius. Coluber est nimia loquacitas & garrulitas, varium communitati aconicum afflans, murmurando, detrahendo, obloquendo, rixando. Apponit sigillum S. Ignacius hanc ipsam Regulam jubens, ut pacem & humilitatem conservemus in silentio, cum id observandum est, cum autem loquendum in circumspeditione & adificatione verborum, ac maturitate incessis, motuumque omnium, sine ullo impatientie aut superbie signo exhibere. Atque ita necatur quoque anguis impatientie, manetque fons signatus, ab omni veneno vitiorum purus, limpidus, amenas salubresque continens aquas, quae alios & nos ipsos pascant atque oblectent. Praesertim vero juvabit id, mirum in modum, ad tutelam castitatis, ut docet Cassianus Coll. 12. c. 6. *Quantum quis in lenitate & patientia cordis, tantum in corporis puritate proficiet : quantumque longius pepulerit iracundiam passionem, tanto tenacius castitatem obtinebit ; non enim aestus corporis declinabit, nisi qui animi motus ante compresserit ; & ideo dicitur. Matth. 5. Beati mures (mansueti, humiles) quoniam ipsi possidebant terram. scilicet carnem suam.*

III.  
Puteus  
aquarum  
viventium.

III. Tertium symbolum, quo Sponfus Sponsam extollit, est Puteus aquarum viventium, qua fluunt impetu de Libano. Hunc quoque puteum describit Adrichomius pag. 6. num. 67 dum ait:

Puteus aquarum viventium, cuius in Cantico fit mentio, juxta viam, qua Tyri ducit, situs, egregius est & admirabilis. Continet quatuor fontes, maris quatuor inclusos, unde varii deducuntur aqueductus & rivi, qui totam Tyri planitiem, omnesque ejus hortos irrigant & faciunt.

Ejusmodi fontem, puteumque, optabat quemlibet de Societate esse, S. P. Ignacius, ut nimirum plenus sit aqua viva, quam haurire valeat; dum in Regula praescribit, ut quisque Deum in alio, velut in illius imagine, cognoscere studiat, ex qua cognitione, multi, praclarosque fructus velut e fonte scaturiunt. Uigitur in fratribus ac proximis nosse Deum, tanquam in imagine, incutemur, sciendum est; quod homo, secundum corpus sit imago Dei, licet rudior atque imperfectior: habet enim vultum erectum in Coelum: *Os hominis sublime dedit, caelumque tueri; iussit & oculos ad sidera tollere vultus.* Canit Ovidius. Ut in rebus caelestibus & aeternis, omne bonum & delectationem quaerere discat. Capillos versus caelum erectus gerit, ut discat omnem bonae voluntatis succum, ad incrementum Spiritus, hauriri de super: oculos, manusque orantem in caelum elevat, unde auxilium expectat. Longe autem nobilior & expectatior Dei imago ac similitudo in anima cernitur: quemadmodum enim Deus est Spiritus, immortalis, trinus & unus; ita anima Spiritus est, immortalis, & quodammodo trinus & unus. Una in essentia, trinus in potentia, memoria, intellectu & voluntate. Dinctior vero imago est gratia, virtus ac

vitz sanctimonia, quæ nos vivas reddit  
Dei imagines, filios adoptivos atque  
hæredes regni cœlestis.

Ex hac consideratione haurimus a-  
quam vivam variarum virtutum: nam  
1. Alloquimur mentem paulatim à car-  
nalibus & terrenis abstrahere, 2. Ut  
Regula innuit, in devotione crescimus,  
dum ad opera charitatis exhibenda,  
promptiores reddimur. 3. Ut Regula  
inclinat; Dominum Deum laudamus,  
tanquam in sua imagine, fratres nostros  
videntes, virtutibus à Deo acceptis or-  
natos, pro quibus, grates referimus.  
4. Denique illorum virtutes imitamur;  
atque ita impediuntur cogitationes, ca-  
stisati officie valentes, & vitæ cœle-  
stis initium auspicamur, quam in cœle-  
sti patria, aliquando æternum prosequemur.

Quæ cum ita sint, Charissimi, si ca-  
stas Angelica, tanquam præstantissi-  
mum animæ cimelium, nobis curæ &  
cordi est; terna à S. Patre nostro præ-  
scripta remedia, sedulò adhibeamus,  
necesse est. 1. Instar *horri conclusi*, sen-  
sus nostros, præcipuè autem, oculos,  
aures & linguam, ab omni inordinatio-

ne probè custodiamus: hi enim portæ  
sunt, per quas libido & mors animæ in-  
greditur, ut David, Salomon, Samson,  
innumerique alii, experientiâ didice-  
runt. 2. Instar *fontis signati*, omne iræ,  
impatientiæ, superbiæ, loquacitatis,  
immodestiæ, aliarumque passionum  
venenum, omnino arceamus: quin po-  
tius in pace & humilitate nos conser-  
vemus, ista enim pax & humilitas ca-  
stisatis florem mirificè conservat, ut è  
contrario, ira, impatentia ac superbia  
eandem lædit, & luxuriæ ignem suc-  
cendit, ac faces subministrat. 3. Instar  
*putei aquarum viventium*, in fratribus  
nostris, in aliis proximis, cæterisque  
creaturis pulchris, Deum tanquam in  
imagine intueamur, à quo omnis gratia,  
dona naturalia & supernaturalia pro-  
cedunt: hoc modo, amore carnali de-  
victo, extinctoque, spiritali duntaxat  
dilectione cunctos complectemur; &  
siet in nobis fons aquæ vivæ, sa-  
lientis in vitam æter-  
nam.



REGU-